BIJLAGE III. — FACULTEITSBRIEF VAN 1663 ²⁰⁾.

Facultates concessae a Sanctissimo Dno nostro Alexandro divina providentia Papa Septimo frⁱ Petro de Vos Ord. Eremit. S. Augustini Praefecto Missionis eiusdem Ordinis in Belgio.

1^a. Administrandi omnia Sacramenta, etiam parochialia, Ordine et Confirmatione exceptis, et quoad parochialia in Dioecesibus ubi non erunt Episcopi, vel Ordinarii, vel eorum Vicarii, vel in parochiis ubi non erunt parochi vel, ubi erunt, de eorum licentia.

2^a. Absolvendi ab haeresi, et apostasia a fide, et a schismate quoscumque etiam Ecclesiasticos, tam saeculares, quam Regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses, deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverint, nisi isti nati sint, ubi impune grassantur haereses, et post iudicalem abiurationem, illuc

²⁰⁾ *Manuale*, 119-123.

[pag. 120] reversi in haeresi, fuerint relapsi ; et hoc in foro conscientiae tantum.

3^a. Absolvendi a casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla Coenae Domini contentis, primo conversos ad fidem Catholicam tantum, remissis aliis ad Nuntium Coloniae.

4^a. Absolvendi et dispensandi in quacumque simonia, etiam reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis iniuncta aliqua eleemosyna, vel poenitentia salutari, arbitrio dispensantis ; et in foro conscientiae tantum.

5^a. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendi, libros haeticorum, vel infidelium, de eorum religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet prohibitos, praeter opera Caroli Molinaei, Nicolai Machiavelli, ac libros de Astrologia iudiciaria, principaliter aut incidenter, vel alias quovis modo de ea tractantes ; ita tamen ut libri ex illis provinciis non efferantur.

6^a. Celebrandi Missam quocumque loco decenti, etiam sub dio, sub terra, una hora ante auroram, et alia post meridiem, bis in die, si necessitas cogat : si tamen in prima Missa non sumpserit ablutionem : et super Altari portatili, etiam fracto, aut laeso, et sine Sanctorum Reliquiis : et praesentibus haeticis, aliisque excommunicatis, si aliter celebrari non possit : et non sit periculum sacrilegii : dummodo inserviens Missae non sit haeticus, vel excommunicatus.

Huiusmodi autem facultate rarissime, et ex gravissimis et urgentissimis causis utatur : in quo graviter eius conscientia oneratur. Quod si ad praesens vel in posterum quodcumque, aderit Episcopus, aut Vicarius generalis, aut Capitularis, sive Vicarius apostolicus ad cuius dioecesim seu administrationem pertineant loca, ubi secundo celebrari contigerit, praefata facultas bis celebrandi nullius prorsus sit roboris ac valoris, nisi prius praedicto Episcopo, aut eo absente, ipsius Vicario generali, aut respective capitulari, aut Vicario apostolico fuerit exhibita, ab eoque examinatae [pag. 121] et approbatae fuerint in scriptis causae ea utendi, nec aliter concessa intelligatur, quam iuxta moderationem ab ipso apponendam, et non alias. Cuius Episcopi, seu Vicarii conscientia oneratur, ut non nisi urgentissimis causis, ut supra dictum est, et ad breve tempus, ea uti permittat.

Quam tamen facultatem poterit Episcopus, seu Vicarius, si in Domino visum fuerit expedire, et ad aliud breve tempus, pluries, et eadem servata forma, prorogare, intra tempus in hac facultate a Sancta Sede concessum, et non ultra. Id ipsum autem prorsus servetur ab iis quibus haec eadem facultas celebrandi bis in die, iuxta potestatem inferius apponendam, communicata fuerit : adeo ut nemo ex ipsis, nisi iuxta moderationem, ab Episcopo, vel eius Vicario generali, vel Capitulari, seu Vicario apostolico, ut dictum est, singulis apponendam, huiusmodi facultati uti valeat : iniuncto eorundem Episcoporum, seu Vicariorum conscientiae, ut, ultra superius dicta non omnibus indifferenter, quibus fuerit communicata, sed

paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae et zeli, et qui absolute necessarii sunt; nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus, ut dictum est, facultatem quoad hoc communicatam approbet.

7^a. Dispensandi et commutandi vota simplicia in alia pia opera, exceptis votis castitatis et religionis.

8^a. Dispensandi in foro conscientiae super irregularitate, ex delicto occulto proveniente, et non deducto ad forum contentiosum; non tamen ex homicidio voluntario aut bigamia.

9^a. Dispensandi cum conversis ad fidem catholicam in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis simplice et mixto, quoad praeterita matrimonia; et in dictis casibus prolem susceptam declarandi legitimam.

10^a. Dispensandi cum iisdem super impedimento publicae honestatis iustitiae, ex sponsalibus proveniente.

11^a. Dispensandi cum eisdem super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante [pag. 122].

12^a. Dispensandi cum eisdem super impedimentis cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

13^a. Hae tamen dispensationes matrimoniales ultimae, nona, decima, undecima, et duodecima, non concedantur nisi de consensu Episcoporum, ubi erunt, et cum clausula dummodo mulier rapta non fuerit; vel, si rapta fuerit, non sit in potestate raptoris. Et in dispensatione tenor huiusmodi inseratur, cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae.

14^a. Restituendi ius petendi debitum amissum.

15^a. Concedendi Indulgentiam plenariam in oratione quadraginta horarum, ter in anno, de consensu Episcoporum, si ibi erunt, indicenda, diebus bene visis, contritis et confessis, et Sacra Communionem refectis, si tamen ex concursu populi, et expositione Sanctissimi Sacramenti, nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab haereticis, aut Magistratum offensum iri.

16^a. Concedendi Indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, atque etiam fidelibus quibuscumque, in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non poterunt.

17^a. Lucrandi sibi easdem Indulgentias.

18^a. Singulis secundis feriis, non impeditis officio novem lectionum, vel, eis impeditis, die immediate sequenti celebrando Missam de Requiem, in quocumque altari, etiam portatili, liberandi animam, secundum eius intentionem, a Purgatorii poenis, per modum suffragii.

19^a. Communicandi has facultates in totum vel in partem fratribus suae missionis, quos Sacra Congregatio [pag. 123] de Propaganda Fide destinaverit et approbaverit, et non aliis, tam pro omnibus locis in ea missione contentis, quam pro aliquibus eorum, et ad tempus sibi bene visum, prout magis in Dno expedire iudicaverit; nec non easdem, quantum opus fuerit revocandi, sive etiam moderandi tam circa earum usum, quam circa loca et tempus easdem

exercendi, ita tamen ut nec eidem Praefecto, nec ipsorum cuilibet liceat eisdem ullo pacto uti extra fines suae missionis.

20^a. Ut praedictae facultates gratis, et sine ulla mercede exercentur, et ad annos tres tantum concessae intelligantur.

Feria 5^{ta} die 29 Junii 1663.

In Congregatione generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud Sanctum Mariam Maiorem, Sanctissimus Dns noster Alexander Papa Septimus praedictus, concessit supradictam facultatem praefato fratri Petro de Vos, Ordinis Erem. S. Augustini, Praefecto missionum eiusdem Ordinis in Belgio, ad triennium proxime futurum.

Card. Franciscus Barberinus.

Locus Sigilli.

Joannes Lupus

Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis Notarius.

BIJLAGE IV. — FACULTEITSBRIEF VAN 1673 ²¹⁾.

Facultates concessae a S^{mo} P. N. Clemente divina providentia Papa X^{fr} Petro Parmentier Ord. Eremit. S. Augustini Praefecto missionum eiusdem Ordinis in Provinciis Belgii foederatis.

1^a. Administrandi omnia Sacramenta, etiam parochialia, Ordine et Confirmatione exceptis, et quoad parochialia [pag. 172] in Dioecesibus, ubi non erunt Episcopi vel Ordinarii, vel eorum Vicarii; vel in parochiis, ubi non erunt parochi, vel ubi erunt, de eorum licentia.

2^a. Absolvendi ab haeresi et apostasia, et a schismate, quoscumque, etiam Ecclesiasticos, tam Saeculares, quam Regulares, non tamen eos qui de locis fuerint, ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impune grassantur haereses deliquerint, nec illos qui iudicialiter abiuraverunt ²²⁾, nisi isti nati sint ubi impune grassantur haereses, et post iudicalem abiurationem illuc reversi in haeresim fuerint ²³⁾ relapsi, et hos in foro conscientiae tantum.

3^a. Absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apostolicae reservatis, etiam in Bulla Coenae Domini contentis.

4^a. Absolvendi et dispensandi a Simonia, non tamen reali, nisi dimissis beneficiis et fructibus ex eis male perceptis, arbitrio Sanctitatis Suae restitutis, si facilis erit ²⁴⁾ recursus ad Sedem Apostolicam: si vero difficilis, vel ob distantiam locorum, aut alias causas, etiam in reali, dimissis beneficiis, et super fructibus male perceptis,

²¹⁾ *Manuale*, 171-177.

²²⁾ *abiuraverint* in 1678 sq.

²³⁾ *fuerint*, weggelaten in 1678 (niet in de volgende jaren).

²⁴⁾ *sit* in 1678.

iniuncta aliqua eleemosyna, vel poenitancia salutari, arbitrio dispensatis ; vel etiam retentis beneficiis, si fuerint parochialia, et non sint qui parochiis praefici possint.

5^a. Tenendi et legendi, non tamen aliis concedendis, libros haereticorum ²⁵⁾ vel infidelium de eorum religione tractantium, ad effectum eos impugnandi, et alios quomodolibet prohibitos, praeter opera Caroli Molinaei et Nicolai Machiavelli, et libros de Astrologia iudiciaria principaliter vel incidenter vel alio ²⁶⁾ quovis modo de ea tractantes : ita tamen ut libri de illis Provinciis non efferantur [pag. 173].

6^a. Celebrandi Missam quocumque loco decenti, etiam sub dio, sub terra, una hora ante auroram, et alia ²⁷⁾ post meridiem, bis in die, si necessitas cogit ²⁸⁾, si tamen in prima Missa non sumpserit ablutionem ; et super Altari portatili, etiam fracto aut laeso, et sine Sanctorum reliquiis et praesentibus haereticis aliisque excommunicatis, si aliter celebrari non possit et non sit periculum sacrilegii, dummodo inserviens Missae non sit haereticus vel excommunicatus.

Huiusmodi autem facultate ²⁹⁾ bis in die nullatenus uti liceat nisi rarissime et gravissimis et urgentissimis de causis in quo graviter oneratur eius conscientia. Quod si ad praesens vel in posterum quandocumque aderit Episcopus vel Vicarius generalis aut Capitularis sive Vicarius Apostolicus, ad cuius dioecesim ³⁰⁾ pertineant loca in quibus ³¹⁾ secundo celebrari contigerit, praefata facultas bis celebrandi nullius prorsus sit roboris ac momenti, nisi prius dicto Episcopo aut eo absente ipsius Vicario generali, aut respective Capitulari aut Vicario Apostolico fuerit exhibita, ab eoque examinatae et approbatae fuerint causae in scriptis ea utendi, nec aliter concessa intelligatur, quam iuxta moderationem ab ipso apponendam, et non alias, cuius Episcopi seu Vicarii conscientia oneratur, ut non nisi de urgentissimis causis, ut supra dictum est, et ad breve tempus, ea uti permittat ; quam tamen facultatem poterit Episcopus vel Vicarius si in Dno visum fuerit expedire, ad aliud breve tempus ³²⁾ et servata eadem forma, prorogare, intra tempus in hac facultate a Sancta Sede concessum, et non ultra. Idipsum autem prorsus servetur ab iis, quibus haec eadem facultas celebrandi bis in die iuxta potestatem inferius apponendam communicata fuerit, adeo ut ³³⁾ nemo ex ipsis, nisi iuxta moderationem ab Episcopo etc., ut

²⁵⁾ *haereticos* in 1681.

²⁶⁾ *alias* in 1678 sq.

²⁷⁾ *aliam* in 1678 sq.

²⁸⁾ *cogat* in 1678 sq.

²⁹⁾ *facultatibus* in 1684; *celebrandi toegevoegd* in 1678 sq.

³⁰⁾ *seu administrationem toegevoegd* in 1678 sq.

³¹⁾ *ubi i. pl. v. in quibus* in 1678 sq.

³²⁾ *pluries*, *ingevoegd* in 1678 sq.

³³⁾ *atque i. pl. v. adeo ut* in 1678 sq.

dictum est, singulis apponendam ea ³⁴⁾ uti valeat : nec omnibus indifferenter concedatur, sed maturioris prudentiae et zeli.

7^a. Dispensandi vel commutandi vota simplicia, etiam castitatis de rationabili causa, in alia opera pia, non tamen Religionis [pag. 174].

8^a. Dispensandi in foro conscientiae super irregularitate ex delicto occulto proveniente, et non deducto ad forum contentiosum, non tamen de homicidio ³⁵⁾, aut bigamia.

9^a. Dispensandi in tertio et quarto consanguinitatis et affinitatis simplici et mixto tantum ³⁶⁾, et in secundo, tertio, et quarto mixtis, non tamen in secundo solo, quoad futura matrimonia ; quo vero ad praeterita, etiam in secundo solo, dummodo nullo modo attingat primum gradum, cum his qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem Catholicam, et in praefatis casibus prolem declarandi legitimam.

10^a. Dispensandi super impedimento criminis, neutro tamen coniugum machinante, ac restituendi ius petendi debitum amissum.

11^a. Dispensandi super impedimento publicae honestatis iustitiae ex sponsalibus proveniente.

12^a. Dispensandi in impedimento cognationis spiritualis, praeterquam inter levantem et levatum.

13^a. Hae vero dispensationes matrimoniales, videlicet 9^a, 10^a, 11^a, et 12^a, non concedantur nisi cum clausula ³⁷⁾ De consensu Episcoporum, si ibi erunt, et Dummodo mulier rapta non fuerit, vel, si rapta fuerit, in potestate raptoris non existat. Et in dispensatione tenor huiusmodi facultatum inseratur, cum expressione temporis ad quod fuerint concessae.

14^a. Dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam de illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat, retinere possint, nisi prima voluerit converti.

15^a. Concedendi Indulgentiam plenariam in oratione 40 [pag. 175] horarum ter in anno de consensu Episcoporum, si ibi erunt, indicendam ³⁸⁾ diebus bene visis, contritis et confessis, ac Sacra Communionem refectis ; si tamen ex concursu populi, vel expositione

³⁴⁾ *huiusmodi facultate* in 1678 sq. Verder aldus aangevuld: « Iniuncto eorumdem Episcoporum, seu Vicariorum conscientiae, ut ultra superius dicta, non omnibus indifferenter quibus fuerit communicata, sed paucis dumtaxat, iisque maturioris prudentiae et zeli, et qui absolute necessarii sunt, nec pro quolibet loco, sed ubi gravis necessitas tulerit, et ad breve tempus, ut dictum est, facultatem quoad hoc approbat communicatam » in 1678 sq.

³⁵⁾ *voluntario*, ingevoegd in 1678 sq.

³⁶⁾ *tantum*, weggelaten in 1678 sq.

³⁷⁾ *cum clausula*, geplaatst voor *Dummodo mulier* in 1678 sq.

³⁸⁾ *indicenda* in 1678 sq. en *indicandam* in 1793.

³⁹⁾ *prorsus*, weggelaten in 1678 sq.

S^{mi} Sacramenti nulla prorsus ³⁹⁾ sit probabilis suspicio sacrilegii ab haereticis et infidelibus, aut Magistratum offensum iri ⁴⁰⁾.

16^a. Concedendi Indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis, saltem contritis, si confiteri non possint ⁴¹⁾.

17^a. Concedendi singulis Dominicis et aliis diebus festis decem annorum Indulgentiam iis qui eius ⁴²⁾ concionibus interfuerint ⁴³⁾, et iis plenariam qui praevia Sacramentali Confessione peccatorum suorum Sacram Eucharistiam sument in festis Natalis Dni, Paschatis et Assumptionis Divae ⁴⁴⁾ Virginis.

18^a. Lucrandi sibi easdem Indulgentias.

19^a. Singulis feriis secundis, non impeditis festo ⁴⁵⁾ novem lectionum, vel eis impeditis, die immediate sequenti celebrando Missam, in quocumque altari etiam portatili, de Requiem liberandi animam, secundum eius intentionem, a Purgatorii poenis per modum suffragii ⁴⁶⁾.

20^a. Deferendi Sanctissimum Sacramentum occulte ad infirmos sine lumine, illudque sine eodem retinendi, pro iisdem infirmis, in loco tamen decenti, si ab haereticis aut infidelibus sit periculum sacrilegii ⁴⁷⁾.

21^a. Induendi se vestibus saecularibus ⁴⁸⁾, si aliter vel transire vel permanere non poterit ⁴⁹⁾ in locis missionum.

22^a. Recitandi Rosarium vel alias preces, si Breviarium secum deferre non poterit, vel Divinum Officium ob aliquod impedimentum legitimum ⁵⁰⁾ recitare non valeat ⁵¹⁾.

23^a. Benedicendi paramenta, vel alia utensilia, ad Sacrificium [pag. 176] Missae necessaria, ubi non intervenerit ⁵²⁾ Sacra Unctio ; et reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et, in casu necessitatis, etiam aqua ab Episcopo non benedicta.

24^a. Communicandi has facultates in totum vel in parte sociis suae missionis, quos aut Sacra Congregatio de Propaganda Fide, aut una cum Internuntio Bruxellensi Vicarius Apostolicus ⁵³⁾ appro-

⁴⁰⁾ Deze faculteit is sedert 1678 na de volgende geplaatst.

⁴¹⁾ *poterunt* in 1678 sq.

⁴²⁾ *eorum* in 1793.

⁴³⁾ *interveneri(n)t* in 1678 sq.

⁴⁴⁾ *Beatissimae* in 1678 sq.

⁴⁵⁾ *Officio* in 1793.

⁴⁶⁾ Deze faculteit is weggelaten in 1681.

⁴⁷⁾ Deze faculteit ontbreekt in 1678.

⁴⁸⁾ *etiam si fuerint Regulares*, toegevoegd in 1684.

⁴⁹⁾ *poterunt* in 1793.

⁵⁰⁾ *ob aliquod impedimentum legitimum*, weggelaten in 1678 sq.

⁵¹⁾ *valeant* in 1793.

⁵²⁾ *intervenit* in 1678, ook in 1793.

⁵³⁾ *Provinciarum Belgii foederatorum* in 1678, 1681.

baverit ⁵⁴⁾ in scriptis, et non alias nec aliter sociis concessae aut communicatae intelligantur, quam ad formam Concoradatorum inter Vicarium Apostolicum foederati Belgii ⁵⁵⁾ et Regulares anno 1624 initorum, et a Sacra Congregatione approbatorum, tam circa illarum usum, quam circa loca et tempus easdem exercendi; ita tamen, ut nec eidem Praefecto, nec ipsorum cuilibet liceat ullo pacto uti extra fines suae missionis ⁵⁶⁾.

25^a. Hae facultates praedictae gratis et absque ³⁷⁾ ulla mercede exerceantur, et ad annos tres tantum ⁵⁸⁾ concessae intelligantur.

Feria 5^{ta} die 13 Julii 1673.

In Congregatione generali Sacrae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico apud Sanctam Mariam Maiorem, S^{mus} P. N. Clemens X praedictus concessit facultates supradictas praefato fratri Petro Parmentier Ord. Eremit. S. Augustini Praefecto missionum eiusdem Ordinis in provinciis Belgii foederatis ad triennium proximum.

Cardinalis Barbarinus.

Franciscus Riccardus S. Romanae et Universalis Inquisitionis Notarius. Infra haec addit suo calamo Pater Parmentier: sc. ut sequitur approbavit Reverendissimus Vicarius:

Approbamus ut frater Petrus Parmentier utatur [pag. 177] facultatibus sibi a S^{mo} D^{no} nostro concessis: ita tamen, ut nullo modo utatur illis quae numero 4^{to}, 7^o, 9^o, 11^o, et 12^o continentur. Aliis autem non utatur nisi iuxta formam in illis praescriptam. Ita ille, ita et ego. Quod si tamen aliquid circa illa oriatur, mihi rescribat, quia ad Sedem Apostolicam haec approbatio relata est, sed non approbata.

⁵⁴⁾ approbavit in 1678, 1681.

⁵⁵⁾ foederati Belgii, vervallen in 1678, 1681.

⁵⁶⁾ In 1684 luidt deze faculteit aldus: «Communicandi has facultates in totum, vel in parte fratribus suae missionis, quos Sacra Congregatio de Propaganda Fide destinaverit, et approbaverit, et non aliis, tam pro omnibus locis in ea missione contentis, quam pro aliquibus eorum, et ad tempus sibi bene visum, prout magis in Domino expedire judicaverit, necnon quatenus opus fuerit, revocandi, sicut etiam moderandi, tum circa illarum usum, quam circa loca et tempus easdem exercendi, quod etiam eo absente Vice-Praefecto, nec ipsorum cuilibet liceat, eisdem ullo pacto uti extra fines suae missionis; tempore vero sui obitus, liceat eidem si in missione praesens fuerit, hanc eandem praefecto facultatem alteri communicare, si vero fuerit absens, hoc ipsum Vice-Praefecti tempore obitus ipsius Vice-Praefecti concessum intelligatur, ut sit, qui interim possit supplere, donec Sedes Apostolica certior facta, quod quampridem fieri debeat, et delegatum alio modo provideat». Dit hele nummer ontbreekt echter in 1793.

⁵⁷⁾ sine in 1678 sq.

⁵⁸⁾ tantum ontbreekt in 1678. In 1793 is de geldigheidsduur van de faculteiten niet hier aangegeven.

BIJLAGE V. — FACULTEITSBRIEF VAN 1790 ⁵⁹⁾).

Antonius Felix Zondadari Dilecto Nobis in Christo Adm. R. P. F. Achte Missionum ejusdem ord. [o. e. s. a.] Praefecto.

Auctoritate nobis ab Apostolica Sede specialiter facta tibi permittimus ut juxta decretum S. Congregationis de Propaganda Fide habitae [pag. 244] XIX Julii MDCCXC praefecturam tui ordinis in faederato Belgio, ad beneplacitum ejusdem S. Congregationis duraturam, agere possis ac valeas, cum potestate eandem exercendi ad praescriptum decretum praefatae S. Congregationis, et cum facultatibus a nobis inferius concedendis, et dummodo sub omnimoda jurisdictione nostra, successorumque nostrorum subjaceas, et non alias, nec alio modo.

Facultates autem quae tibi a nobis conceduntur sunt sequentes.

1°. Administrandi omnia Sacramenta parochialia, intra limites tantum stationum ordinis tui; in aliis vero stationibus de expresso tantum consensu Pastorum.

2°. Absolvendi in foro conscientiae tantum ab haeresi et apostasia a fide omnes et quascumque personas, exceptis tamen sacerdotibus: insuper absolvendi ab omnibus casibus quocumque modo Sanctae Sedi Apostolicae reservatis, cum potestate communicandi hanc facultatem in totum vel in partem pastoribus missionariis tui ordinis ad triennium tantum quo elapso eandem facultatem a te vel a successoribus tuis iterum petere tenebuntur; quo vero ad missionarios secundarios sive assistentes, haec eis parce concedatur pro tuo arbitrio et prudentia vel in casibus particularibus vel ad annum tantum.

3°. Tenendi et legendi non tamen aliis concedendi, libros hareticorum vel infidelium de eorum religione tractantes, ad effectum eos impugnand(um) et alios quomodolibet, praeter opera Caroli Molinaei, Nicolai Macchiavelli, Historiam civilem regni Napolitani Petri Giannone, La Pucelle d'Orleans, librum cui titulus L'esprit, Istruioni interno la Sancta Sede dal Francese 1765, Œuvres philosophiques de la Mettrie, les Collimaçons, Abrégé de l'histoire ecclésiastique sub mentito nomine de Fleury, Reflexioni d'un Italiano sopra la chiesa in generale, Système de la nature, Il vero despotismo 1770, La raison par alphabet, et Joannes Laur [Isenbielh] isemblals novum testamentum in prophetiam de Emmanuele, Histoire critique de J. C., Nouveaux Melanges historiques philosophiques critiques, Quid est Papa? quocumque idiomate impressum, et libros de astrologia judiciaria principaliter aut incidenter et aliocumque modo tractantes, ita tamen, ut libri ex illis provinciis non efferantur [pag. 245].

4°. Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab haeresi, atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis constitutis, saltem contritis, si confiteri non poterunt.

⁵⁹⁾ Manuale, 243-245.

5°. Concedendi indulgentiam plenariam in oratione 40 horarum ter in anno pro stationibus tui ordinis indicendam diebus bene visis, confess(is) ac S. Communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione SS. Sacramenti nulla probabilis sit suspicio sacrilegii ab haereticis et infidelibus committendi, aut Magistratum offensum iri.

6° Deferendi SS. Sacramentum occulte ad infirmos, sine lumine, illudque sine lumine retinendi pro eisdem infirmis, in loco tamen decenti, dummodo sit periculum sacrilegii ab haereticis aut ab infidelibus.

7°. Induendi vestes saeculares, si aliter vel transire vel permanere non poterunt missionarii in locis missionum.

8°. Benedicendi paramenta aliaque utensilia ad sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit S. Unctio, sed tantum pro stationibus tui ordinis.

9°. Communicandi has facultates, in scriptis tamen, in totum vel in partem missionariis tui ordinis a nobis, nostrisque successoribus specialiter approbatis ad munus missionariorum inter limites tuae praefecturae exercendum. Illos vero serio admonere debes ne limites facultatum sibi a te concessarum ullo modo et sub quacumque praetextu excedant, sub paena nullitatis earumdem; quapropter hac de re consentiam tuam stricte oneratam volumus.

10°. Et praedictae facultates gratis, et sine ulla mercede exercentur et durante tuae praefecturae tantum.

Interim mandamus tibi ut singulis annis ad nos nostrosve successores mittere debeas catalogum omnium et singulorum ordinis tui religiosorum in missione Belgica operantium, prout hactenus fieri consuevit. Insuper monemus te religiososque tuae praefecturae commissos ut constitutiones Apostolicas et decretas Congregationis de Propaganda Fide usque nunc pro regimine Missionis Belgicae exarata ad amussim observent dictamque obedientiam et submissionem nobis nostrisque delegatis omnino praestent.

Datum Leodi in aedibus nostris anno 1790.

Signatam erat A. F. Archiepiscopus Adanensis Nuntius Apostolicus et infra de mandata eximii ac Reverendissimi Domini Nuntii Joachim Maria Vendetti a Secretis.